

Specimen inaugurale, exhibens diaetae saccharatae convenientiam ad sanitatem hominis ... / exponit Samuel Kiuck.

Contributors

Kiuck, Samuel.

Publication/Creation

[Königsberg] : Typis Reusnerianis, [1723]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rubmehyz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

21
18
SPECIMEN INAUGURALE,
EXHIBENS

DIÆTÆ SAC-
CHARATÆ CON-
VENIENTIAM AD
SANITATEM
HOMINIS,

QUOD

EX MORE SOLEMNI ET JUSSU FACULTATIS
MEDICÆ REGIOMONTANÆ

PRO GRADU DOCTORIS

RITE OBTINENDO

PUBLICIS ERUDITORUM COLLOCUTIONIBUS
EXPONIT

SAMUEL KIUCK.

REGIOM. BORUSS. A. N. C. M. DCC. XXIII.

AD DIEM 1. JULII h. & l. c.

TYPIS REUSNERIANIS.



PATRIÆ,
PATRONIS
ET
AMICIS.

PROOEMIUM.



Aximè necessariam tam sanis quam ægrotis hominibus esse justam diætā, varia argumenta comprobant. Sive enim ortum regularum diæteticarum spectes, ubi alimentorum numerus, & diversitas quotidie ferè augeri incipiebat, nec unumquodque alimentum indiscriminatim unicuiq;

homini conducere videbatur, certa vivendi ac cibos & potus eligendi ratio præscribenda erat, ut scilicet ex communicatis illis regulis inexperti à noxiis cavere, & probata in auxilium vocare discant: Sive earum progressum intuearis, quando natura paucis aliàs contenta moderamen amplius in rebus vix observabat, & luxuries, & opiparæ mensæ mundum vexaverant, hominumque robur superflua diversorum alimentorum ingestione destructum fuerat, nulla commodior sufficiebat methodus, quam mutationes illas post varia assumpta accedentes probè animadvertere, ad damna illa præoccupanda cautius mercari, & effectus omnium assumptorum sedulò annotare: Sive tandem consideres usum hujus doctrinæ diæteticæ, quem non modò sana ratio occasione illius triti: *Omne nimium natura inimicum* commendat, sed & æthiologiæ medicorum illustrent, ac tot exempla & experientiæ confirmant; nullum amplius restat dubium, regulas diæteticas in utroque hominis statu, in negotiò scilicet tuendæ & restituendæ sanitatis principem locum obtinere. Ast in hac regularum diæteticarum necessitate & usu, non rarò tamen limites justī & æqui transgrediuntur,

in quantum hanc normam bene vivendi aliter interpretari animadverto, ut conscientiosa & scrupulosa interdum ciborum ac potuum electio nonnullis hominibus arrideat, ubi de omnibus sæpe & singulis rebus præjudicium quoddam fovendo, nec falsa, nec acida, nec dulcia, nec amara sibi proficua esse credunt, & ex qualibet levisimâ aurâ, aut quacunque aliâ ciborum desuetudine insigne sibi sanitatis detrimentum imminere. Quæ quidem consuetudo, etsi minimè reprehendenda mihi videatur, quod omnia facienda sint, quæ ad sollicitam sanitatis conservationem pertinent, illud tamen habet incommodi, ut, dum hîc vivendi genere homines admodum dubii, delicati & molles redduntur, ex levi quavis occasione & causâ, si affectatam illam acribeiam absolutè observare variæ circumstantiæ vetent, postea alterentur, & in morbis per irregulares varios successus turbentur. Melius è contrariò sibi consulunt illi, qui opipara convivia, lautas menfas, multos diversi generis cibos, uno eodemque tempore assumendos negligentes, paucissimis & simplicissimis rebus contenti sunt, hos non modò commodissimè vivere, sed & alios jugi sanitatis æqualitate superare experientia docet. Quanquam autem regnum animale debitâ ac bonâ ad justam diætam observandam materiâ non careat, vegetabile tamen regnum præ hoc longè magis sese commendat, utpote cujus producta sanitati hominis convenientissima censeo. Hujus opinionis fundamentum mihi videntur præbere, non primi homines solum frugibus longævam vitam consecuti, sed & multi infantes, matribus ad lactandum ineptis, aquâ & farinâ benè nutriri soliti, imò illa physicorum observatio solennis, quando omnem chylum carnis ad putredinem admodum pronum existere docetur. In tantâ itaque regni vegetabilis eminen-

3
tia, potissimum etiam circumspeditionem in usu ejus pro-
ductorum adhibendam esse persvasissimus sum. Atque
hoc ipsum est, quod præsenti labore tanquam specimine
inaugurali intendo, ubi exemplum aliquod diæteticum
SACCHARATAM scilicet DIÆTAM recensere, explica-
re & commendare volo. *Faxit modo Deus T. O. M. ut tam
ad scientiam, quam praxin, intellectum & usum idonea assequar,
hocque negotium secundum veritatem & utilitatem boni publici
enucleare valeam.*

TRACTATIO.

§. I.



Commune est proverbium: Die Preussen sind
Süßmäuler, à cujus notitiâ neminem alienum
esse arbitror: communis etiam & solennis ob-
servatio existit, non paucis subiectis circa sac-
charum ipsum & saccharata præjudicium quod-
dam inhærere, ut de his ex nonnullis rationibus impofterum
recensendis & refutandis perversum quendam sibi faciant
conceptum, ac si hominis sanitati minùs convenientia imò
damnosa existant. Utraque tamen consideratio me movit,
ad examen physico-practicum hæc ducere, ut ita innote-
scat, ex qua parte magis sanitati nostræ consultum sit, &
quod non sine fundamento Borussica gens hac diætâ delecte-
tur. Ast in hac tractatione in respectibus magis medico-
practicis acquiescere, quam universam sacchari historiam
naturalem huc trahere cogito, & in hoc negotiô indagandô
B. L. partim ad MISCEL. VRATISL. partim ad illos
scriptores mitto, quos in *Polyhist. Tom. 2. L. 2. P. 2. p. 395. Illu-
stris MORHOFIUS* citavit.

§. II.

Ut igitur ad propositum meum propius accedam, statim ab initiô, ut sensus tituli innotescat, descriptio quædam tam diætæ saccharatæ, quam etiam sanitatis præmittenda venit. Prætermisissis itaque variis hujus tum veterum tum recentiorum definitionibus, vel ex solâ partium corporis conformatione legitimâ, vel ex actionum vitalium justâ solum administratione, vel ex potentiâ exercendi actiones desumptis, hanc aliis palmam præripere arbitror, quando sanitas dicitur omnium actionum actualis integritas, à legitimâ partium organicarum & fluidarum constitutione, & à principiô vitali omnes actiones decenti ordine, tenore, & tempore instituyente originem trahens. Vid. NENTERI *Instit. Med. p. m. 40.* Hoc jam sanitatis fundamentum longius conservari & labefactatum citius ac commodius restitui valet diætâ saccharatâ, per quam intelligo talem victus rationem, quâ esculenta ac potulenta saccharô benè condita assumuntur, ut & pariter Eleosacchara, Condita & Syrupi &c. in pharmacopoliis reperibilia, pro scopô diæteticô usurpantur. Adeoque cogitationes meas non modò secundum communem diæteticæ doctrinæ acceptionem, quæ solum circa res non naturales occupata est, interpretari volo, sed & omnes sub conservandâ sanitate connexos respectus ex pharmaceuticô forô huc trahendos esse cupio, itâ ut quicquid saccharata diætâ tam præservatoriè quam curatorie præstet, constare possit.

§. III.

Antequam autem hujus diætæ convenientia demonstretur, in antecessum in parenthesi quasi commemoranda est sacchari hodierni ab antiquorum disconvenientia, siquidem nostrum seculum longe feliciores progressus testatur

rur præ antiquis temporibus , ut concretum hoc propiori-
 bus incrementis sanitatis accommodarent. Partim enim
 hoc testatur imperfecta , multisque fabulis circa modum
 generationis innixa veterum notitia , partim ipsius cannæ,
 quæ antiquis dabat Zuccarum , conditio diversa cum eâ,
 ex quâ hodiè saccharum elicitur, ubi quoad magnitudi-
 nem, folia, imò quoad nomen veræ arundinis saccharife-
 ræ ex recentiorum authorum unanimi relatione inter se
 planè non convenire edoceor. Ast quemadmodum in fu-
 siorem hujus controversiæ dijudicationem me immittere
 propositum vetitat, ità neque in explicandò saccharigenita-
 li locò, & conficiendi modò prolixus esse volo, sed suffi-
 ciat hâc in re allegatio authorum , ex quibus commendo
 in primis MISCELL. VRATISLAV. *Tent. 2. A. 1717. Mens.*
Sept. Art. 8. p. 79. SCHROEDERI *Pharmacop. med. chym. p.*
748. & 49. JUNGKEN. *Lexicon chym. pharmacev. p. 516. &*
17. FRIED. HOFFM. *disp. de Sacch. hist. nat. & med. Halæ*
1701. habit. §. 8. & seqq. Illud tamen silentiò prætereundum
 non est , ex quò usus medico - practicus magis poterit illu-
 strari, quæ scilicet in hóc concretò notabiliores differentiæ
 intercedant , & qualis in tantâ diversitate selectus institu-
 endus sit. Itàque commendo distinctionem (I) ratione
formæ externæ , quando aliud pyramidale, aliud farinace-
 um, aliud tantum existit. (II.) ratione *loci & denomina-*
tionis , ubi ab Insulâ Maderâ Maderanense, à Canariis Ca-
 nariense , & Thomæum ab Insulâ S. Thomæ, Valenti-
 num à Valentiis Hispanorum , Melitæum seu Melisium ab
 Insulâ Melitâ vulgò Malthâ nomina sua nacta sunt. (III.)
 ratione *puritatis* , quando non solum unum genus alterò,
 sed & una eademque species præ alterâ præstat ; sic in ge-
 nere omni candisato & refinato prærogativa tribuitur, quæ

tamen in specie ad Canariense restringitur, & quod nivis instar candidissimum & aridissimum est, minimeque lentum aut pingue, sed malleo percussum in solidas partes defilit, & dum dentibus atteritur, cum strepitu quodam crepat, atque si resolvatur ac despumetur aqueam claritatem habet; è Melisio præstat, quod tam intus quam foris candidissimum est; è Thomæo eligendum, quod pingue, densum, candidius & malleo percussum non adeo lentum & fractu contumax observatur. (IV.) ratione usus saccharum tantum reliquis palmam præripit, refinatum vel finum succedit, nec, ut nonnulli putant, propter lixivium calcis vivæ nocet, siquidem eò tenuius & volatilius ejus sal habetur; ultimum locum saccharum crudeum seu non finum occupat.

§. IV.

Jam ut probetur, quod saccharum ratione principiorum suorum sanitati hominis, tam conservandæ quam restituendæ diæteticè nimirum usurpatum optimè conveniat, ejus principia constitutiva paucis perlustranda veniunt. Atque hîc profectò egregiè mihi placet HOFFMANNI in cit. disput. adducta definitio, quod saccharum scilicet sit *concretum salino sulphureum ex succo cannae seu arundinis sacchariferae germanicè Zucker-Riet oder Rohr dictæ, quoad caulem solenniter ex flavo viridescentem exsurgentis, magnitudine 6. vel 7. pedes, crassitie verò raro 3. pollices superantis, in internodia plura 4. digitorum interstitio plerumque inter se distantia sectæ, & in summitate pluribus foliis bicubitalibus plus minus accuminatis sursumque erectis coronatæ, nec non panniculam arundinis sagittariae instar producentis, ac radicem denique obliquam quodammodo dulcem & succulentam offerentis, per reiteratas inspissationes & depurationes paratum, nunc in formâ siccâ & solidâ in*
metas

*metas vel crystallos coactum, nunc tanquam pulvis plus minus
siccus aut glebosus, colorem plus minus albicantem aut fuscum &
saporem maximè dulcem referens. Et jure etiam, me judice,
saccharum sal essentialiale dici meretur ex his saltem rationi-
bus. (I.) Si salium proprium habetur in aquâ dissolvi, ne-
cessariò & saccharum salis nomen omninò obtinere debet,
quia aquæ impetum non sustinet, sed in homogeneous redi-
gitur liquorem. (II.) Saccharum in aquâ solutum post
convenientem hujus evaporationem more aliorum salium
præcipuè essentialium in crystallos concrevit, prouti hoc
saccharum tantum comprobatur. (III.) Sufficiens & satis
clare à Physicis demonstratum est absque principiò salinò
nullum dari saporem, hinc & sacchari sapor dulcis & gratis-
simus de salinorum corpusculorum præsentia certissimum
præbet testimonium. Interim participat & saccharum de
sulphure, id quod testatur partim flamma, quam post li-
quefactionem concipit, partim gustus, ubi peculiari à reliquis
discrepantiâ non acrimoniâ sed dulcedine linguam titillat.
Tandem etiam saccharum quoad hanc essentialiam suam con-
stitutionem æque ex terrâ pingui, & mucilaginosa constat,
quando ejus viscida mucilago in saccharo soluto tactu
sentitur.*

§. V.

Secundum hæc jam principia sua constitutiva nomina-
ta saccharum sanitati conservandæ optimè conducit, quate-
nùs scilicet ob principium salinum temperatum, dulce ad-
modum & gratum reliqua ciborum condimenta egregiè
temperat ac moderatur, chylicationem promovet, & pu-
tredinem arcet; ob principium sulphureum æque tempe-
ratissimum ipsas rubicundas massæ sanguineæ particulas ad-
augendo vitalitatem humoribus impertit, & sic pariter uti
principium salinum ciborum digestionem opitulatur, conten-

ta ventriculi nimis acris & acida demulcet, ac corruptioni resistit, imò etiam ob particulas terreas admixtas superfluas humiditates abstergendò absumit. Nam non ignotum est, quod gratiora etiam efficaciora existant occasione illius triti: *quod sapit, nutrit*, hinc, quia naturæ gratus adeò sensus communicatur, nullum est dubium, quin actus suos vitales chylicatorios etiam accuratius administret. In primis verò saccharum ratione texturæ suæ mucaginosæ & viscidæ ut alia dulcia in genere optimè nutrit, quatenus scilicet particulas lymphæ gelatinosas omnium maximè nutritivas restituit. Confirmat hoc etiam HIPPOCRAT. *lib. 2. de diet. c. 33. l. 19.* dulcia, pingua & oleosa replent, i. e. nutriunt. GALENUS in *lib. 4. de simpl. med. facultat. c. X.* omne nutriens ex dulcium genere est; & PLINIUS dicit, dulcibus corpora augescunt, *l. 2. c. 54.* Testantur hoc & Indorum mancipia, quibus in saccharò conficiendò strenuè occupatis reliquæ tantum à secundâ sacchareiliquoris expressi ebullitione remansæ victus locò sufficere debent, ut taceam porcos à crassioribus saltem sacchari facibus mirandum in modum pinguescere, ac carnem adeò delicatam sapidamque contrahere, ut gallinacæ haud inferior existat, ac optimè in ægrorum victum cedat. Ceterum quemadmodum in negotiò tuendæ sanitatis omne momentum constituunt excretiones fecum alvinarum, & ipsis inclusarum variarum partium inutilium, ità non dubitandum est, quin saccharata diæta effectum hunc producere possit, in quantum scilicet non modò omne sal ritè usurpatum, visciditatem humorum attenuandò resolvit, & intestinorum parietes vellicandò contenta resoluta ad excretionem stimulat, sed in primis illa peculiaris sacchari constitutio dulcis & mu-

cilagi

9

cilaginosa ac sulphurea, temperandô & inviscandô humores, incidentes & laxantes nec non pellentes vires exercet.

§. VI.

Idem salutaris scopus è saccharò expectandus est, quando pro sanitatis labefactatæ restitutione diætetice à medicis commendatur. In antecedentibus dictum est, saccharum esse sal dulce & admodum temperatum, hinc non incongruè usurpatur ubi humorum adest acrimonia, falsedo nimia, partim ad hanc temperandam, partim ad ejus efficaciam pravam infringendam, inviscandô scilicet & obvolvendô particulas acres & salinas, ut hac ratione subsecuturæ excretioni eò melius obediant; quod concinnè admodum per assumptionem frequentem potuum Thee & Caffee sacchari sufficienti quantitate conditorum in actum deduci potest. Atque secundum hoc principium nominatum, ac tali modô usurpatum, saccharum & temperat humores acidos, quod contra eos assero, qui saccharum acidum augere simpliciter statuunt, perpendens. (I) vinum austerum & acidum à sacchari admiscelâ edulcorari. (II.) neque lacti dulcedinem connubium sacchari detrahare, multò minùs idem in coagulationem præcipitare. Ex hóc fundamentô pariter à nonnullis authoribus saccharo vis diuretica adscribitur, hinc non incongruè in iis affectibus renum, ubi materiæ cujusdam peccantis abstersio & excretio ceteris paribus suscipienda est, sub supradictâ formâ potus Thee & Caffee adhiberi valet, prouti hunc in finem saccharum aquâ dilutum commendat DIOSCORIDES lib. 2. c. 104. & HIPPOCR. *conferri potest de affect. c. 50. t. 1.* Ex visciditate ejus optimô jure deducuntur vires traumá-

ticæ , cujus effectus conscii medici in affectibus ubi quædam partis mollioris jactura facta est, saccharata in-& externè commendant. Prætereà sacchari particulæ terreæ & sulphureæ siccant , ac humores superfluos absumunt, hinc apprimè convenit, in affectibus ubi feri copia reperibilis est, arcent tamen insimul sulphureæ moleculæ putredinem, unde in omnibus morbis malignis , ubi humorum corruptio metuenda est , usum non mediocrem præstare valet diætâ saccharata. In primis verò tam saccharum ipsum v. gr. sacch. cantum , quam diætâ saccharata sese commendat in morbis pectoris, v. c. tussi humidâ , ubi materia peccans tenuis acris & falsa excernitur , quatenus scilicet mucilagine aut visciditate suâ materiam ipsam incrassat , particulas acres & falsas inviscat, obvolvitur, ac temperat, ut partim pravam efficaciam suam exerere nequeat, partim humor ipse ad excretionem præparetur ac disponatur , quò viis quasi lævigatis eò facilius excerni queat. Subjecta phthifica præstantissimum in hac diætâ invenire levamen, concludi potest ex exemplis, ubi in M. N. C. *dec. 2. An. 4. Obs 9.* aposthemata, hæctica, pulmonum ulcera , solâ rosarum conservâ cum ptisanâ hordeaceâ v. multo lacte haustâ à medicò famigeratissimò curata esse legimus , indicio luculentissimò , esculenta & potulenta saccharata prudenter continuata virtutes remediorum amplificare.

§. VII.

Comprobat hos multifarios sacchari & diætæ saccharatæ usus, ac realem cum hominis sanitate convenientiam ulterior experientia, ubi quotidie observare licet, in nullâ ætate quam in infantili & senili , majori in copiâ ac
tam

II
tam frequenter saccharum in usum trahi; etenim omnia
ferè quæ infantibus ordinariò alimentò ad assumendum
porriguntur, saccharò priùs ad gratum saporem concilian-
dum condiuntur; imò quid familiarius est, quam quod
semper eorum clamores nudò saccharò sedare nutrices v.
matres consueverint. Quod senes attinet, tunc meritò
admirationem meretur, hos, qui in junioribus annis non
nisi falsis ac acidis maximoperè delectabantur, seniò ap-
propinquante appetitum versus talia notabiliter non per-
dere solum, sed planè ità abhorrere, ut loco eorum saccha-
rum ipsum & varii generis saccharata etiam extra prandii
v. coenæ tempus quam sæpissimè mastitent ac comedant;
imò quod notabile est, senes inter prandendum & coe-
nandum multa ciborum genera ordinariò quidem modò
parata, saccharò tamen priùs condita, quod aliis ridicu-
lum videretur, assumere. Interim sub hac diætâ per
quam rarò contingit, ut vel appetitus imminuatur, vel
ventriculus debilitetur, v. acidum generetur, multò minùs
alia vulgaria imposterum recensenda damna, teste utrius-
que ætatis experientia, sequantur: quin potius observare
licet, infantes æque ac senes sub hac diætâ in bonâ vale-
tudine vivere, ac horum vires quam diutissimè sæpè illæ-
sas servari, illos autem quoad corpus & animam quotidie
incrementum capere. Neque deficit hujus experientiæ
ratio, siquidem ob gratiam infantes nutrit, fordes prima-
rum viarum in iis abstergit, & ad commodiorem excretio-
nem promovet, Senibus verò in suarum partium notabili
stricturâ & humiditatis defectu, relaxandò & salivam pro-
liciendò gratissimum est. Adeòque ex his consideratio-
nibus non vanâ prognosi auguratur, in reliquis pariter

ætatibus, quæ infantiam & senectutem non solum viribus animi, sed & robustiori corporis dispositione longè superant, & vegetiores actuum vitalium successus experiuntur, ut consequenter non tantis etiam ingruentibus alterationibus pateant, aut ad minimum has feliciter corrigere possint, saccharatam diætam suis utilitatibus nunquam destitui.

§. VIII.

Quamvis autem ex his omnibus saccharatorum cum naturâ humanâ convenientia omni ætati familiaris satis clarè elucescat, non desunt tamen exempla hominum, à quibus hæc diætâ inconueniens, multisque difficultatibus obnoxia prædicatur. Harum PRIMA est: *Saccharum ratione principii acidî, cujus testis est spiritus acidus, acidum in corpore humanô & speciatim in primis viis hærens auget.* Ast pro hâc scrupulô tollendô, assero, (I.) dubiam mihi videri acidî in saccharô existentiam, quoniam hic sapor, qui à physicis ad extremos deducitur, non modò in simplici saccharô esset perceptibilis, sed & effectus communes coagulatorios aliquatenus testari deberet, quod tamen non fit. Neque obstat illud productum, quod ope chymix è saccharô destillatur, cujus æthiologiam non in concretô hâc, sed in diversis ejus præparationibus, v. cum arenâ, mox cum aquâ, & lateribus candefactis, v. cum floribus salis armoniaci, v. cum fermentô cerevisiariô suscipiendis, operationem hanc concomitantibus quæro. Magis itaque hac de re convictus acidum illud (II.) non vulgari sensu concipio, sed insignem temperaturam à moleculis sulphureo-terreis ipsi accedere ita persuasus sum, ut efficacia illa prior si non planè annihilaretur, ad minimum tamen notabiliter

tabiliter debilitaretur. Atque hæc limitata aciditas reales mihi (III.) offert experientias, ubi nil quidquam nocivi exin in corpus humanum redundavit, ubi profectò quotidianus panis, dum pariter acidum in sinu suò fovet, benedictam tamen utilitatem suam per omnem terrarum orbem exferit. Quid quod usus modernus idem loquatur, quando vina acida ideò sacchari miscelâ edulcorantur, ut haustu evadant salubria, quæ consuetudo aliàs esset ridicula & inepta, si illa prior propositio quoad auctiorem aciditatis firmâ ratione & experientiâ constanti niteretur. Interim non novum est post usum saccharatorum ructus & hiatus acidus nonnullos spirasse, quia non tam acidum sacchari, neque acidum ventriculi, quod pariter magis in speculationibus quam demonstrationibus consistit, sed magè diuturnior illa rerum in ventriculò detentio, & commiscela cum aliis ciborum generibus effectum hunc producit, unde humores fermentandò quæcunque edulia imbibunt, superant, & in sui naturam convertunt.

§. IX.

ALTERA objectio quæ contra saccharatorum usum formari solet est hæc: *Quod bilem ob sulphureas scilicet particulas augeant.* Ortum traxit hæc nænia non aliundè, quam à malè citatò antiquorum suffragiò, *quod dulcia bilem augeant.* Hi enim in illorum temporum inopiâ sacchari, mellis autem familiari usu, hujus copiosioris turbulentiores effectus non imperitè annotarunt; quæ tamen animadversio ad saccharum benè depuratum, album, candidum, & solidum immediatè transferri nequit. Nam præterquam quod sacchari sulphur temperatum, generationi bilis vix perfectè faveat, experientiâ etiam quotidianâ

14
observare licet, quod infantes & senes non ita copiosam
bilem possideant, cum tamen præ omni aliâ ætate saccha-
rô frequentissimè utantur, adolescentes autem v. juvenes
ac viri saccharatorum usum fastidientes, facilius & fre-
quentius affectus biliosos experiantur. Unde ex solò sac-
charatorum usu hoc damnum non extimescendum esse ar-
bitror, alias enim non perversa solum & quam maximè
culpanda esset solennis hæc consuetudo, ubi infantibus in-
primis tam frequens sacchari usus conceditur, sed etiam
nullibi facilius & frequentius quam in his ætatibus homi-
nes bilis abundantia vexarentur. Si itaque hinc inde spe-
cialis aliqua noxa proveniret, extimescenda esset in illis
subjectis, qui aromaticæ & pingui diætæ lautiori jungunt
saccharatam lautiolem, imò lacticiniis in specie mellitis
delectantur, quæ nisi debitâ digestionem resolvantur, ad
flavedinem corruptivam ruunt, corrumpuntur & pu-
rescunt; è contra autem qui mediocriter hunc victu utun-
tur, admodum rarò imò nunquam ferè corpus suum ita
replebunt, ut hinc periculum quoddam imminere possit.

§. X.

TERTIUM argumentum probans sacchari incon-
venientiam cum naturâ humanâ & metuendam noxam ex
suppositô effectû vermes generandi desumptum est. Fuit hæc
unanimes tam veterum quam recentiorum nonnullorum
opinio, evidenti tamen ratione constantique experientia
non ita stabilita. Sive enim vermes ex putredine, sive ex
semine proprio generari asseras, cujus problematis ulterio-
rem veritatem jam inquirere propositi mei non est, sac-
charum minimè ad utramque vermium generationem ali-
quid facere valet; quia (I.) ratione principiorum suorum
con-

constitutivorum , nec per se ipsum offert substantiam ita
facile putredini obnoxiam , nec aliis corporibus hanc in-
ducere valet, quin potius nonnullorum authorum consensu
cetera omnia utut putredini late patentia ab eâ præservat,
quod ipsum constanter contra GARENZERUM *Tr. de*
Tabe Anglica defendo , eodem scilicet experimento contra-
rium edoctus : Non dicam liquores dulces in pharmaco-
poliis contentos satis diu cum hâc condimentô saccharê
conservari. (II.) Non apparet quare seminium vermino-
sum præcisè cum saccharô & non aliis assumptis, ordina-
riè etiam & ut plurimum in infantili & puerili ætate ac
non in reliquis corpus ingrediatur , aut saccharum ipsum
hâc præcisè vitæ tempore & non aliô hunc effectum pro-
ducat , cum tamen nonnulli adultorum & omnes ferè se-
nes in majori adhuc copiâ , quam infantes & pueri sac-
charata ingerant , rarissimè tamen in primis posteriores de
vermibus conquerantur , prouti hujus rei testimonium
quotidiana constans experientia præbet luculentissimum.
Idem (III.) testantur experimenta, quæ celeberrimos pra-
cticos in hac materiâ fecisse animadverto , quando partim
clariss. RHEDI eos lumbricos, quos tincturæ Aloës aquæ
factæ indidit , post effluxum XXIV. horarum etiamnum
vivos, eos autem quos saccharo itidem aquâ soluto im-
mersit, post II. v. IV. horas extinctos observavit ; partim
ZAPATA in secret. Med. Chirurg. p. 155. obstinacem ver-
mium remanentiam folius sacchari rosacei ope curavit ;
partim *Excell. HOFFMAN. in diff. de anthelminticis* ad
quietem lumbricis saturatione procurandam saccharata
commendavit. Ast qua ratione saccharum ad classem re-
mediorum anthelminticorum referendum sit , res est altio-

ris indaginis ; quæ ex meò judiciò ità est decidenda : quod cum lumbrici dulcia maximè appetant , his ad nau-
 seam usque usurpatis moriantur , & causâ ordinariâ excer-
 nantur , qui effectus eò citius expectandus venit , si non
 tantum in copiâ saccharum ingestum , sed & per aliquod
 temporis intervallum in ventriculò moratum fuerit , ubi
 tunc cum aliis rebus mixtum in fermentationem , & hinc
 consequentem aciditatem abit , à qua postea lumbricos
 enecari observatum est. *Conf. ACT. ERUD. LIPS. An.*
1700. mens. nov. p. 525. RIVER. prax. p. m. 370.

§. XI.

Excipit denique has præcedentes QUARTA ET
 QUINTA adhuc difficultas , quas ceu ex uno eodemque
 fundamentò , sacchari scilicet visciditate & acescentiâ de-
 sumptas , combinare placet. Vulgaris enim est opinio,
obstructionibus vasorum in corpore nostrò ansam dari, in quan-
tum non tantum particule sacchari mucilaginosæ tunicis ventri-
culi longius adherentes primarum harum viarum vasa ob-
struant , sanguini communicate hunc reddant spissum pituito-
sum, & mucosum , ut hinc tardius cursum suum instituendò
facile in vasis angustioribus stagnare valeat, sed & sub pretextu
communi, dulcia facile acescere, vi hujus aciditatis coagulatio-
nes humorum & obstructions vasorum causari. Verum enim
 verò , utut damnum hoc in iis subjectis extimescendum
 esset , quæ præter notabilem humorum spissitudinem sibi
 familiarem , & intermissionem v. negligentiam sufficien-
 tium corporis commotionum , nihilominus maximâ in
 quantitate saccharatis utuntur , non universalis tamen
 statim conclusio indè formanda est , ac si in omnibus
 promiscuè hominibus hic effectus contingere deberet, cum

in iis, ubi humorum justa est constitutio & circulus, debi-
tus corporis motus, & modica saccharatorum diæta, non
itâ facile hi effectus observentur. Taceo hypochondriaca
subjecta hanc opinionem suô exemplô itâ irritam reddere,
ut in rei veritate nihilò pejus inde habeant. Quid quod
totæ Provinciæ sub quotidianô sacchari usu non frequen-
tius ejusmodi affectus incurrant, qui obstructionibus tali-
bus superstruuntur, quam tota cohors talium personarum,
quæ persuasionibus hisce auscultantes à saccharô maximâ
solicitudine sibi cavent. Ex eodem tandem fonte mucila-
gine nimirum, *saccharata ventriculum saburra viscida opplere*
vulgò traditur. Ast valdè præcipitans conclusio à melle
& dulcibus in genere omnibus, facile & acerrimè fermen-
tescentibus ad saccharum, errori huic fundamentum præ-
buit, quod ipsum jam §. 9. monitum esse recordor. Nam
hæc credulitas fuit occasio imputandi saccharo cuicunque,
quod M. S. ad muciditatem & tenacitatem ducat *daß der*
Zucker sehr verschleime contra manifestam tamen totis po-
pulis id testantibus experientiam. Præterea universalita-
tem hujus asserti infringunt sæpiùs jam nominatæ ætates,
infantis & senilis, in quibus non obstante satis frequenti
& multâ saccharatorum ingestione, vitiosa tamen hæc
ventriculi constitutio non itâ facile contrahitur, id quod
in primis ex notabili appetitus vigore & incrementô illu-
stratur, qui aliàs labefactatis organis chylicatoriis neces-
sariò imminueretur. Imò sana ratio tantò magis contra-
riatur hisce superstitionibus, nam res si exquisitè pessimè
cedat, nihil gravius fiet ex unciâ sacchari quam ex unciâ
aceti, ast in peste morborum gravissimô, jubentur ægro-
tantes acetum pro vehiculô sumere, & potiuncularum
formulas in febribus acutis familiarissimè ingrediuntur
Spiritus Vitrioli, clyssus Antimonii; quid quod tota que-

rela fatiscat, quando sacchari visciditas & mucositas facilimè aromaticis corrigi valet, prouti acetum ad insipiditatem reducit absorbens. Si igitur quandoque saburra humorum viscida in ventriculò obvenit ac generatur, non saccharo mediocriter usurpato sed maximà in copiâ ingestò, concurrente adhuc ventriculi debilitate, cruditatibus jam præsentibus, aut aliis quibusdam circumstantiis hic effectus meritò venit adscribendus.

§. XII.

Refutatis sic ac limitatis his contra saccharata objectionibus, pervenio jam ad curiosam satis, & huc necessariò trahendam ac decidendam quæstionem, *An nullum cibi & potus genus condimentum sacchareum respuat.* Ad quam affirmativè respondeo, non tantum autoritate PISANELLI *de aliment. facult.* p. 243. & HORNII *in arc Mos.* p. 51. sed etiam ratione & experienciâ suffultus. Saccharum enim (I.) omnium salium est temperatissimum quod ex antecedentibus innotescit, hinc reliqua ciborum condimenta, quæ ut plurimum vehementiora aut efficaciora existunt, admodum temperat, ità ut vim suam tam vehementer exerere nequeant; cujus rei exemplar nobis præbent condita officinalia v. gr. Zingiberis, &c. cujus virtus valdè calefaciens saccharò ità corrigitur, ut palato evadat gratissimum. (II.) Præter hanc virtutem ob particulas mucilaginosas etiam egregiè nutrit, ut nec oryzæ, nec milio, nec amygdalis unquam aliquid cedere videatur, quod superius jam probatum est. (III.) Putredinem arcet, falsum enim est experimentum cum carne recenti institutum, cujus mentionem facit ETMÜLLERUS *Oper. Tom. 2. p. 205.* quod hujus frustum ex sacchari adspersione putredinem facilius conciperet præ alterò non saccharatò adhuc sine noxâ existente, siquidem planè contrarium ipse in
imi-

imitatione hujus experimenti vidi ac expertus sum. (IV.) Non infringit nec impedit ordinariam esculentorum & potulentorum virtutem, prouti multi ex scholâ Helmontii sibi hoc persuadent, quando dicunt moleculas viscidas sacchari particulas acidas, falsas, amaras ità obvolvere, ut effectum suum desideratum planè edere nequeant. Ast medicamenta saccharata, syrapi, electuaria, rotulæ, morfuli, conservæ, in pharmacopoliis contenta, satis clarè contrarium probant, dum à celeberrimis practicis, debitis observatis circumstantiis, felici cum successu sine medicamentorum virtutum deperditione quotidie præscribuntur. (V.) Debitum & jucundum saporem esculentis ac potulentis non adimit quin potius me iudice auget, quemadmodum hujus rei testimonium sat luculentum pariter dat medicus practicus, qui connubiò saccharatorum gratas intelligit miscere formulas, v. c. julepos, emulsiones, decocta, potiones, utut firma semper maneat regula practica; *de gustibus non est disputandum.* (VI.) Denique quotidiana experientia satis superque testatur, plurimis ciborum ac potuum generibus saccharum absque sanitatis læsione admisceri, v. gr. ex ciborum variò numerò & modò, omnibus ferè placentarum generibus, jusculis variis, sive vinò sive cerevisiâ paratis, v. calidè v. frigidè assumptis, decoctis hordei, avenæ, pulmentis, leguminibus, oleribus, ut sunt varii generis lactucæ, fructibus, nec non potuum generibus Thee, Caffee, & vini.

§. XIII.

Interim melioris illustrationis gratia producam specimina quædam œconomica, quibus condimentum saccharum sat paradoxum, principiis tamen medicis sanitatem respicientibus convenientissimum deprehenditur. Ità profectò non de nihilo est illa meditatio, *decocta aquosa*

Thee & Caffee, adstringente qua pollent virtute ità faccharò attemperari, ut admixtâ hâc mucilagine ac visciditate abstergentes & laxantes vires acciperent. Neque vanus est timor, *viva & eorum spiritus* quoscunque pulmonum texturæ subtiliori infesta videri, ast sit mens metu libera, quæ faccharò hâc potus genera condire cogitat, ubi sulphur vini terreis & viscidis sacchari moleculis ità obvolvitur, ut non ità facilè corporis nostri viscera afficere valeat. Idem judicium esto de *Cerevisiâ* cui valdè lupulatae & à jejuno ventriculò nonnunquam excipiendæ non incommode melioris temperaturæ gratia saccharum admiscetur. Et quandò vulgari opinione potulenta hâc saccharata citius inebriare dicuntur, non saccharo, sed ab hâc producto gratiori saporì tribuendum hoc esse persuasus sum, in quantum ità frequentius & copiosius imbibitur. Non minùs *lac* multò efficacius redditur miscelâ sacchari, quoniam arcet discessum, ac promovet commercium & unionem molecularum pingvium, quæ aliàs facilè secedere solent. Ex CARNIUM genere produco in primis id quod dicimus **Peckel-Fleisch, geräuchert Fleisch**. Abundantia quippe salium & terrestreitatum in his carniùm præparationibus obvia sacchari sale sulphureò ità corrigitur, ut gustu gratissimum, & effectû exoptatum evadat; quemadmodum eadem ratione *piscium* mucilaginem imbibit, ac gratiam saporis producit, & ità operandò damna ex piscibus metuenda præoccupat. *Brassica muratica, Lactuca* ob acidi abundantiam, *senapi* ob nimiam acrimoniam & volatilitatem naturæ humanæ non semper conveniunt, ast si hâc saccharò præparantur, egregia exin elurgit omnium molecularum temperies.

§. XIV.

Atque ità jam aliquatenus innotescit *modus & ordo*
diæte-

diæticarum harum regularum. Ubi vel (I.) saccharum adspargitur esculentis & potulentis sine horum coctione in quo casu optima sacchari species eligenda venit; vel (II.) illis admiscetur in aut post actum coctionis, ubi non refinatum etiam sufficere potest, siquidem impuritates per coctionem depurari v. despumari possunt. Vel (III.) Condimentis temperaturæ gratia, v. c. sali domestico & aromatibus jungitur. Vel (IV.) juscula, pulmenta, tanquam alimentum ingreditur. Vel tandem (V.) ut medicamentum aliis remediis additur, ut salutes magis inde scopi obtineantur. In ordine autem hujus diætæ observandò, ipsa quotidiana praxis commendat, saccharata nunquam sola, sed semper aliis rebus addita & juncta in usum trahi.

§. XV.

Ex hac ultimâ consideratione ea jam deducuntur, quæ adhuc circa diætæ saccharatæ *cautelas & abusum* dicenda restant. Scilicet ante omnia inculco *vim & efficaciam consuetudinis*, de cujus potentiâ edoctus nil quidquam adversus eam molior, siquidem res satis odiosa existit, hòc tempore ædilitatem absque populi suffragiò sibi arrogare. Interim id regulæ sanitatis postulant, ut intra legitimos terminos detineatur, & si unquam fieri potest cum hac nominatâ regulâ diæticâ commutetur, quoniam & difficilioris diætæ obtineri potest felix aduetudo, in quantum ea quæque quæ ab initiò maximè aversari solent, temporis successu perquam facilè tolerantur teste STAHLIO in *opusc. Chym. p. 279.*

§. XVI.

Ceterum est & manet *abusus* diætæ saccharatæ damnandus, quia nihil in universâ rerum naturâ tam salutare existit, ut non per incongruum usum corpori humano inimicum & planè exitiosum evadat. Consistit verò hæc

hæc transgressio à regulâ justî & æqui hætenùs commen-
datâ. (1.) In *nimiâ quantitate*, (2.) *inconvenienti tempore*;
(3.) ubi *morbida obstat dispositio*; (4.) quando per alia re-
rum genera *correctio debita omittitur* & (5.) in *idiosyncrasiâ*
naturali. Nimia & continua sacchari assumptio ac masti-
catio dentibus plagam infligit, eorumque denigrationi &
corrosioni ratione salis subtilis nimium quam decet salivæ
commixti opitulatur; in primis ventriculum debilitat, ap-
petitum imminuit, humores incrassat & vias obstruit, at-
que ità concoctionis & circulationis negotium impedit.
Inconveniens adhæc est saccharatorum usus quando *post*
pastum aut assumptos cibos ingurgitantur, ubi profectò
accumulandò primarum viarum cruditates, nec chylus
elaborari, nec ulterius distribui potest. Morbida verò
corporis constitutio, sive in ventriculò saburrâ acidâ, aut
variis aliis cruditatibus onustò, quærat, sive in pulmo-
num ac faucium affectionibus lateat, id tamen absolutè
imperare videtur, ne saccharatorum copiosâ ingestione
biliosis stomachi recrementis largius pabulum subministre-
tur, aut relaxationibus partium nimis humorum ad pectus
affluxus promoveantur. Hæc damna eò efficaciora red-
duntur, si partim absque ullâ aliarum rerum correctione,
partim in subjectis ubi individualis adest horror in usum
trahatur. Ex omnibus jam hætenùs adductis id intelli-
gitur, HELMONTII & ETMULLERI effatum, de
relegatione saccharatorum in forò medicò tunc demum
valere, quando sub his circumstantiis applicatur. Ast de
ceterò satis commendanda confectaria in practicum exin
redundare persuasus sum, qui *usum ab abusu* probe
distinguere didicit.

T A N T U M.